

JOSEPH ADDISON

CARMINA (770 vers)

Ces quelques pièces en latin ont été publiées chez H. Baldwin, en 1779.

D.D. HANNES, INSIGNISSIMUM MEDICUM ET POETAM

A1 v.1 O qui canoro blandius Orptheo
 2 vocale ducis carmen, et exitu
 3 feliciore luctuosis
 4 saepe animam revocas ab umbris,
 5 jam seu solutos in numerum pedes
 6 cogis, vel aegrum et vix animae tenax
 7 corpus tueris, seu cadaver
 8 luminibus penetras acutis ;
 9 opus relinquens eripe te morae,
 10 frontemque curis sollicitam explica,
 11 scyphumque jucundus require
 12 purpureo gravidum Lyaeo.
 13 Nunc plena magni pocula postules
 14 Memor Wilhelmi, nunc moveat sitim
 15 minister ingens, imperique
 16 praesidium haud leve, Montacutus.
 17 Omitte tandem triste negotium
 18 gravesque curas, heu nimium pius !
 19 Nec caeteros cautus mederi
 20 ipse tuam minuas salutem.
 21 Frustra cruorem pulsibus incitis
 22 ebullientem pollice comprimis,
 23 attentus explorare venam
 24 quae febris exagitet tumentem :
 25 frustra liquores quot chymica expedit
 26 fornax, et error sanguinis, et vigor
 27 innatus herbis te fatigant :
 28 serius aut citius sepulchro
 29 debemur omnes, vitaeque deseret
 30 expulsa morbis corpus inhospitum,
 31 lentumque deflebunt nepotes
 32 (reliquias animae) cadaver.
 33 Manes videbis tu quoque fabulas,
 34 quos pauciores fecerit ars tua ;
 35 suumque victorem vicissim
 36 subjiciet Libitina victrix.
 37 Decurrit illi vita beatior
 38 quicumque lucem non nimis anxius
 39 reddit molestam, urgetve curas
 40 sponte sua satis ingruentes ;
 41 et quem dierum lene fluentium
 42 delectat ordo, vitaeque mutuis
 43 Felix amicis, gaudiisque
 44 innocuis bene temperata.

BAROMETRI DESCRIPTIO

A2 v.1 Qua penetrat fossor terrae caeca antra, metallo
 2 foecunda informi, rudibusque nitentia venis ;
 3 dum stupet occultas gazas, nummosque futuros,
 4 eruit argenti latices, nitidumque liquorem ;
 5 qui nullo effusus prodit vestigia tractu,
 6 nec terram signo revolubilis imprimit udo,
 7 sed fractus sparsim in globulos formam usque rotundam
 8 servat, et in teretes lapsans se colligit orbes.
 9 Incertum qua sit natura, an negligat ultra
 10 perficiet, jubar et maturus inutile temnat ;
 11 an potius solis vis imperfecta relinquat
 12 argentum male coctum, divitiasque fluentes :
 13 quisquid erit, magno se jactat nobilis usu ;
 14 nec deus effulsit magis aspectabilis olim,
 15 dum Danaen flavo circum pretiosus amictu
 16 ambiit, et, gratam suadente libidine formam,
 17 depluit irriguo liquefactum numen in auro.
 18 Quin age, sume tubum fragilem, cui densior aer
 19 exclusus ; fundo vitri subsidat in imo
 20 argenti stagnum ; ut pluvia impendente metallum
 21 mobile descendat, vel contra, ubi postulat aestus,
 22 prodeat hinc liquor emergens, et rursus inane
 23 occupet ascensu, tubulumque excurrat in omnem.
 24 Jam caeli faciem tempestatesque futuras
 25 conscia lympa monet, brumamque et frigora narrat.
 26 Nam quoties liquor insurgit, vitreoque canali
 27 sublato nequeunt ripae cohibere priores ;
 28 tum laetos sperare dies licet, arva fatentur
 29 aestatem, et large diffuso lumine rident.
 30 Sin sese immodicum attollens argenteus humor,
 31 et nimium oppressus, contendat ad ardua vitri,
 32 jam sitiunt herbae, jam succos flamma feraces
 33 excoquit, et languent consumpto prata virore.
 34 Cum vero tenues nebulas spiracula terrae
 35 fundunt, et madidi fluitant super aequora fumi,
 36 pabula venturae pluviae ; tum fusile pondus
 37 inferiora petit ; nec certior ardea caelos
 38 indicat humentes, medias quando aetheris oras
 39 tranando, crassa fruitur sublimius aura,
 40 discutit et madidis rorantia nubila pennis.
 41 Nunc guttae agglomerant, dispersas frigora stipant
 42 particulas, rarusque in nimum cogitur humor :
 43 prata virent, segetem foecundis imbribus aether
 44 irrigat, et bibulae radici alimenta ministrat.
 45 Quin ubi plus aequo descendens uda metalli
 46 fundum amat, impatiens pluviae, metuensque procellam,
 47 agricolae caveant ; non hoc impune colonus
 48 aspicit ; ostendet mox foeta vaporibus aura
 49 collectas hyemes, tempestatemque sonoram.
 50 At licet Argentum mole incumbente levatum
 51 subsidat, penitusque imo se condat in alveo,
 52 caetera quaeque tument ; eversis flumina ripis
 53 exspatiata ruunt, spumantibus aestuat undis

54 diluuium, rapidique effusa licentia ponti.
 55 Nulla tacet secreta poli mirabile vitrum
 56 quin varios coeli vultus et tempora prodit,
 57 ante refert, quando tenui velamine tutus
 58 incedes, quando sperabis frigidus ignem.
 59 Augurio hoc fretus, quanquam atri nubila coeli
 60 dirumpunt, obscura diem, pluviasque minantur ;
 61 machina si neget, et sudum promittat apertum,
 62 audax carpat iter nimbo pendente viator ;
 63 nec metuens imbrem, poscentes messor aristas
 64 prosternat : terrae jam bruma incumbit inermis,
 65 frigoraque haud nocitura cadunt, feriuntque paratos.

AD INSIGNISSIMUM VIRUM D. THO. BURNETTUM, SACRAE THEORIAE TELLURIS AUCTOREM

A3 v.1 Non usitatum carminis alitem,
 2 Burnette, poscis, non humiles modos :
 3 vulgare plectrum, languidaeque
 4 respuis officium Camoenae.
 5 Tu mixta rerum semina conscius,
 6 molemque cernis dissociabilem,
 7 terramque concretam, et latentem
 8 Oceanum gremio capaci :
 9 dum veritatem quaerere pertinax
 10 ignota pandis, sollicitus parum
 11 utcunque stet commune vulgi
 12 arbitrium et popularis error.
 13 Auditur ingens continuo fragor,
 14 illapsa tellus lubrica deserit
 15 fundamina, et compage fracta
 16 suppositas gravis urget undas.
 17 Impulsus erumpit medius liquor
 18 terras aquarum effusa licentia
 19 claudit vicissim ; has inter orbis
 20 relliquiae fluitant prioris.
 21 Nunc et recluso carcere lucidam
 22 balaena spectat solis imaginem,
 23 stellasque miratur natantes,
 24 et tremulae simulacra lunae.
 25 Quae pompa vocum non imitabilis !
 26 Qualis calescit spiritus ingeni ?
 27 Ut tollis undas ! Ut frementem
 28 diluvii reprimis tumultum !
 29 Quis tam valenti pectore ferreus
 30 ut non tremiscens et timido pede
 31 incedat, orbis dum dolosi
 32 detegis instabiles ruinas ?
 33 Quin haec cadentum fragmina montium
 34 Natura vultum sumere simplicem
 35 coget refingens, in priorem
 36 mox iterum reditura formam.
 37 Nimbis rubentem sulphureis Jovem
 38 cernas ; ut udis saevit atrox hyems
 39 incendiis, commune mundo
 40 et populis meditata bustum !
 41 Jamque alta coeli moenia corruunt,

42 et vestra tandem pagina (proh nefas !)
 43 Burnette, vestra augebit ignes,
 44 heu socio peritura mundo.
 45 Mox aequa tellus, mox subitus viror
 46 ubique rident : En teretem globum !
 47 En laeta vernantis Favoni ?
 48 Flamina, perpetuosque flores !
 49 O pectus ingens ! O animum gravem,
 50 mundi capacem ! Si bonus auguror,
 51 te, nostra quo tellus superbit,
 52 accipiet renovata civem.

MACHINAE GESTICULANTES (ANGLICE A PUPPET SHOW)

A4 v.1 Admiranda cano levium spectacula rerum,
 2 exiguam gentem, et vacuum sine mente popellum ;
 3 quem, non surreptis coeli de fornice flammis,
 4 innocua melior fabricaverat arte Prometheus.
 5 Compita qua risu fervent, glomeratque tumultum
 6 histrio, delectatque inhiantem scommate turbam ;
 7 quotquot laetitiae studio aut novitate tenentur,
 8 undique congressi permissa sedilia complent.
 9 Nec confusus honos ; nummo subsellia cedunt
 10 diverso, et varii ad pretium stat copia scamni.
 11 Tandem ubi subtrahitur velamen, lumina passim
 12 angustos penetrant aditus, qua plurima visum
 13 fila secant, ne, cum vacuo datur ore fenestra,
 14 pervia fraus pateat : mox stridula turba penates
 15 ingreditur pictos, et maenia squallida fuco.
 16 Hic humiles inter scenas, angustaque claustra,
 17 quicquid agunt homines, concursus, bella, triumphos,
 18 ludit in exiguo plebecula parva teatro.
 19 Sed praeter reliquos incedit homuncio rauca
 20 voce strepens ; major subnectit fibula vestem,
 21 et referunt vivos errantia lumina motus ;
 22 In ventrem tumet immodicum ; pone eminent ingens
 23 a tergo gibbus ; Pygmaeum territata agmen
 24 major, et immanem miratur turba Gigantem.
 25 Hic magna fretus mole, imparibusque lacertis
 26 confisus, gracili jactat convicia vulgo,
 27 et crebro solvit, lepidum caput, ora cachinno.
 28 Quanquam res agitur solleni seria pompa,
 29 spernit sollicitum intractabilis ille tumultum,
 30 et risu importunus adest, atque omnia turbat.
 31 Nec raro invadit molles, pictamque protervo
 32 ore petit nympham, invitoque dat oscula ligno.
 33 Sed comitum vulgus diversis membra fatigant
 34 ludis, et vario lasciviv mobile saltu.
 35 Saepe etiam gemmis rutila, et spectabilis auro,
 36 lignea gens prodit, nitidisque superbit in ostris.
 37 Nam, quoties festam celebrat sub imagine lucem,
 38 ordine composito nympharum incedit honestum
 39 agmen, et exigui proceres, parvique Quirites.
 40 Pygmaeos credas positos mitescere bellis,
 41 jamque, infensa gruum tementes proelia, tutos
 42 indulgere jocis, tenerisque vacare choreis.

43 Tales, cum medio labuntur sidera coelo,
 44 parvi subsiliunt lemures, populusque pusillus
 45 festivos, rediens sua per vestigia, gyros
 46 ducit, et angustum crebro pede pulsitat orbem.
 47 Mane patent gressus ; hinc succos terra feraces
 48 concipit, in multam pubentia gramina surgunt
 49 luxuriam, tenerisque virescit circulus herbis.
 50 At non tranquillas nulla abdunt nubila luces,
 51 saepe gravi surgunt bella, horrida bella, tumultu.
 52 Arma cient truculenta cohors, placidamque quietem
 53 dirumpunt pugnae ; usque adeo insincera voluptas
 54 omnibus, et mistae castigant gaudia curae.
 55 Jam gladii, tubulique ingesto sulphure foeti,
 56 protensaeque hastae, fulgentiaque arma, minaeque
 57 telorum ingentes subeunt ; dant claustra fragorem
 58 horrendum, ruptae stridente bitumine chartae
 59 confusos reddunt crepitus, et sibila miscent.
 60 Sternitur omne solum pereuntibus ; undique caesae
 61 apparent turmae, civilis crimina belli.
 62 Sed postquam insanus pugnae deferbuit aestus,
 63 exuerintque truces animos, jam Marte fugato,
 64 diversas repetunt artes, curasque priores.
 65 Nec raro prisca heroes, quos pagina sacra
 66 suggerit, atque olim peperit felicior aetas,
 67 hic parva redeunt specie, cano ordine cernas
 68 antiquos prodire, agmen venerabile, Patres.
 69 Rugis sulcantur vultus, prolixaque barbae
 70 canities mento pendet : sic tarda senectus
 71 Tithonum minuit, cum moles tota cicadam
 72 induit, in gracilem sensim collecta figuram.
 73 Nunc tamen unde genus ducat, quae dextra latentes
 74 suppeditet vires, quem poscat turba moventem,
 75 expediam. Truncos opifex et inutile lignum
 76 cogit in humanas species, et robore natam
 77 progeniem telo efformat, nexuque tenaci
 78 crura ligat pedibus, humerisque accommodat armos,
 79 et membris membra aptat, et artubus insuit artus.
 80 Tunc habiles addit trochleas, quibus arte pusillum
 81 versat onus, molique manu famulatus inertis
 82 sufficit occultos motus, vocemque ministrat.
 83 His structa auxiliis jam machina tota peritos
 84 ostendit sulcos, duri et vestigia ferri :
 85 hinc salit, atque agili se sublevat incita motu,
 86 vocesque emittit tenues, et non sua verba.

PAX GUGLIELMI EUROPÆ REDDITA, 1667

A5 v.1 Postquam ingens clamorque virum, strepitusque tubarum,
 2 atque omnis belli cecidit fragor ; aspice, Caesar,
 3 quae tibi solliciti, turba importuna, poetae
 4 munera deducunt : generosae a pectore flammae,
 5 Diraeque armorum effigies, simulacraque belli
 6 tristia diffugiant : o tandem absiste triumphis
 7 expletus, penitusque animo totum excute Martem.
 8 Non ultra ante oculos numeroso milite campi
 9 miscentur, solito nec fervent arva tumultu ;

10 stat circum alta quies, curvoque innixus aratro
 11 desertas fossas, et castra minantia castris
 12 Rusticus invertit, tacita formidine lustrans
 13 horroremque loci, et funestos stragibus agros.
 14 Jamque super vallum et munima longa virescit
 15 expectata seges, jam propugnacula rident
 16 vere novo ; insuetos mirabitur incola culmos,
 17 luxuriamque soli, et turgentem a sanguine messem.
 18 Aspicias ut toto excitus venit advena mundo
 19 bellorum invisens sedem, et confusa ruinis
 20 oppida, et eversos flammaram turbine muros !
 21 Ut trepidos rerum annales, tristemque laborum
 22 inquirat seriem, attonitis ut spectat ocellis
 23 semirutas turrets, ad adhuc polluta cruore
 24 flumina, famososque Ormondi volnere campos !
 25 Hic ubi saxa jacent disperso infecta cerebro
 26 atque interruptis hiscunt divortia muris,
 27 vexillum intrepidus fixit, cui tempora dudum
 28 Budenses palmae, peregrinaque laurus obumbrat.
 29 Ille ruens aciem in mediam, qua ferrea grando
 30 sparsa fuit circum, et plumbi densissimus imber,
 31 sulphuream noctem, tetrasque bitumine nubes
 32 ingreditur, crebroque rubentem fulgure fumum.
 33 Ut vario anfractu, et disjectis undique saxis
 34 maenia discedunt, scopulisque immane minantur
 35 desuper horrificis, et formidabile pendent !
 36 Hic pestem occultam, et faecundas sulphure moles
 37 cernere erat, magno quas inter mota tumultu
 38 praelia fervebant ; subito cum claustra fragore
 39 horrendum disrupta tonant, semiustaque membra,
 40 fumantesque artus, laniataque corpora lethum
 41 corripit informe, et rotat ater in aethere turbo.
 42 Sic postquam Enceladi dejecit fulmine fratres
 43 caelicolum pater, et vetuit contemnere divos :
 44 divulsam terrae faciem, ingentesque ruinas
 45 mortales stupuere ; altum hic mirantur abesse
 46 Pelion, invertique imis radicibus Ossam ;
 47 hic fluvium moles inter confusaque saxa
 48 reptare, atque aliis discentem currere ripis.
 49 Stant dubii, et notos montes umbrasque requirunt,
 50 errore ambiguo elusi, et novitate locorum.
 51 Nempe hic Auriaci nuper vexilla secutae
 52 confluxere acies ; hic, aspera corda, Britanni,
 53 Germanusque ferox, et juncto foedere Belga ;
 54 quique truci Boreae, et coelo damnatus iniquo
 55 vitam agit in tenebris, et qui dudum ore perusto
 56 decolor admoti prodit vestigia Phoebi,
 57 undique conveniunt, totum conscripta per orbem
 58 agmina, Nassovique latus socialibus armis
 59 circumfusa tegunt, fremitusque et murmura miscent,
 60 tam vario disjuncta situ, tot dissona linguis.
 61 Te tamen e mediis, ductor fortissime turmis
 62 exere, tu vitam (si quid mea carmina possunt)
 63 accipies, populique encomia sera futuri,
 64 quem varias edoctum artes, studiisque Minervae
 65 omnibus ornatum Marti Rhedycina furenti
 66 credidit invita, et tanto se jactat alumno.
 67 Hunc nempe ardorem, atque immensos pectoris aestus

68 non jubar Arctoum, aut nostri penuria caeli,
69 sed plaga torridior, qua sol intentius omnes
70 effundit radios, totique obnoxia Phoebō
71 India progenuit, tenerisque incoxit ab annis
72 virtutem immodicam, et generosae incendia mentis.
73 Jam quoque torpentem qui infelix suspicit Arcton,
74 brumamque aeternam frigusque perambulat, ursae
75 horridus exuviis, Gulielmi ingenti facta
76 describit sociis, pugnataque in ordine bella
77 attentus numerat, neque brumam aut frigora curat.
78 En ! vastos nivium tractus et pallida regna
79 deserit, imperio extremum qui subjicit orbem,
80 indigenasque hyemes, Britonumque heroa pererrat
81 luminibus tacitis ; subeunt nunc fusa Namurcae
82 moenia, nunc tardo quae sanguine plurima fluxit
83 Boinia, nunc dubii palma indiscreta Seneffi.
84 Quae facies, <et> quanti viri ! Quo vertice in auras
85 assurgit ! Quali firmat vestigia gressu,
86 majestate rudi, et torvo spectabilis ore !
87 Sic olim Alcides, immania membra Leonis
88 instratus spoliis, vasta se mole ferebat,
89 Evandri amplexus dextramque adjungere dextrae
90 Cum peteret, tectisque ingens succederet hospes
91 dum pugnas, Gulielme, tuas, camposque cruentos
92 accipit, in venis ebullit vividus humor,
93 corda micant crebro, et mentem ferit aemulus ardor.
94 Non jam Riphaeos hostis populabitur agros
95 impune, aut agitabit inultas Sarmata praedas.
96 Quis tamen ille procul fremitus, quae murmura vulgi
97 Nassovium ingeminant ! Video cava littora circum
98 fervere remigibus, subitisque albescere velis.
99 Anglia solve metus, et inanes mitte querelas,
100 Nassovi segura tui, desiste tumentes
101 prospicere in fluctus animo suspensa, trucesque
102 objurgare notos, tardamque requirere puppim :
103 optatus tibi Caesar adest, nec ut ante videbis
104 sollicitum belli studiis, fatalia Gallo
105 consilia, et tacitas versantem in pectore pugnas.
106 Olli grata quies et pax tranquilla verendum
107 composuit vultum, laetosque afflavit honores.
108 Ut denso circum se plurimus agmine miles
109 agglomerat lateri, ut patriam veteresque penates
110 respicit exultans ! Juvat ostentare recentes
111 ore cicatrices, et vulnera cruda, notasque
112 mucronum insignes, afflataque sulphure membra.
113 Chara stupet conjux, reducisque incerta mariti
114 vestigat faciem ; trepida formidine proles
115 stat procul, et patrios horrescit nescia vultus.
116 Ille graves casus, duri et discrimina belli
117 enumerat, tumidisque instaurat proelia verbis.
118 Sic postquam in patriam foecunda heroibus Argo
119 Phryxeam attulerat pellem, lanamque rigentem
120 exposuit Graiis, et tortile velleris aurum,
121 navita terrificis infamia litora monstris
122 describit, mixto spirantem incendia fumo
123 Serpentem, vigilesque feras, plaustroque gementes
124 insolito tauros, et anhelos igne juvencos.
125 Te tamen, o quantis Gulielme erepte periclis,

126 accipimus reducem : tibi diva Britannia fundit
127 plebemque et proceres : medias quacunq̄ue per urbes
128 ingrederis, crebrae consurgunt undiq̄ue pompae,
129 Gaudiaque et plausus : mixto ordine vulgus euntem
130 circumstat fremitu denso : tibi Jupiter annum
131 serius invertit, luces mirata serenas
132 ridet hyems, festoque vacat caelum omne triumpho.
133 Jamque nepos tibi parvus adest, laetoque juventae
134 incessu, et blando testatur gaudia risu.
135 Ut patrius vigor atque elati gratia vultus
136 Caesareum spirant, majestatemque verendam
137 infundunt puero ! Ut mater formosa serenat
138 Augustam frontem, et sublimia temperat ora !
139 Agnosco faciem ambiguan, mixtosque parentes.
140 Ille tuas, Gulielme, acies, et tristia bella,
141 pugnasque innocua dudum sub imagine lusit.
142 Nunc indignanti similis fugitiva pusillae
143 terga premit turmae, et falsis terroribus implet,
144 sternitque exiguum ficto cognomine Gallum.
145 Nunc simulat turres, et propugnacula parva
146 nominibus signat variis ; subitoque tumultu
147 sedulus infirmas arces, humilemque Namuream
148 diruit ; interea generosae in pectore flammae
149 adsurgunt sensim juveni, notat ignis honestas
150 purpureo fervore genas, et amabilis horror.
151 Quis tamen Augustae immensas in carmine pompas
152 instruet, in luteos ubi vulgo effusa canales
153 vina rubent, variatque infectas purpura sordes ?
154 Quis lapsus referet stellarum, et fictile coelum,
155 qua laceram ostendunt redolentia compita chartam,
156 sulphuris exuvias, tubulosque bitumine cassos ?
157 En procul attonitam video clarescere noctem
158 fulgore insolito ! Ruit undiq̄ue lucidus imber,
159 flagrantisque hyemes ; crepitantia sidera passim
160 scintillant, totoque pluunt incendia coelo.
161 Nec minus in terris Vulcanus mille figuras
162 induit, ignivomasque feras, et fulgida monstra,
163 terribiles visu formas ! Hic membra leonis
164 Hispida mentitur, tortisque comantia flammis
165 colla quatit, rutilasque jubas ; hic lubricus anguem
166 ludit, subsiliens, et multo sibilat igne.
167 Laetitiam ingentem atque effusa haec gaudia civis
168 jam tandem securus agit, positoque timore
169 exercet ventos, classemque per ultima mundi
170 impune educit, pelagoque licentius errat :
171 seu constricta gelu, mediisque horrentia Cancri
172 mensibus arva videt ; seu turgida malit olenti
173 tendere vela noto, qua thurea flamina miscet
174 aeolus, et placidis perfundit odoribus auras.
175 Vos animae illustres heroum, umbraeque recentes,
176 quarum trunca jacent et adhuc stillantia crudis
177 corpora vulneribus, quibus haec optabilis orbi
178 parta quies, nondum Nassovo abducite vestro
179 fida satellitia, at solitis stipate catervis
180 ductorem, et tenues circum diffundite turmas.
181 Tuque, Maria, tuos non unquam oblita Britannos,
182 o diva, o patiens magnum expectare maritum,
183 ne terris dominum invideas, quanquam amplius illum

184 detineat, longamque agitent sub vindice pacem.

PROELIUM INTER PYGMAEOS ET GRUES COMMISSUM

A6 v.1 Pennatas acies, et lamentabile bellum
 2 Pygmeadum refero : parvas tu, Musa, cohortes
 3 instrue ; tu gladios, mortemque minantia rostra,
 4 offensosque grues, indignantesque pusillam
 5 militiam celebra ; volucrumque hominumque tumultus.
 6 Heroum ingentes animos et tristia bella
 7 Pieridum labor exhaustit, versuque sonore
 8 jussit et aeterna numerorum assurgere pompa :
 9 Quis lectos Graium juvenes, et torva tuentem
 10 Thesea, quid pedibus velocem ignorat Achillem ?
 11 Quem dura Aeneae certamina, quem Gulielmi
 12 gesta latent ? Fratres Thebani, et flebile fatum
 13 Pompeii quem non delassavere legentem ?
 14 Primus ego intactas acies, gracilemque tubarum
 15 carmine depingam sonitum, nova castra secutus ;
 16 exiguosque canam pugiles, Gruibusque malignos
 17 Heroas, nigrisque ruentem e nubibus hostem.
 18 Qua solis tepet ortu, primitiisque diei
 19 India laeta rubet, medium inter inhospita saxa
 20 (per placidam vallem, et paucis accessa vireta)
 21 Pygmaeum quondam steterat, dum fata sinebant,
 22 imperium. Hic varias vitam excoluere per artes
 23 seduli, et assiduo fervebant arva popello.
 24 Nunc si quis dura evadat per saxa viator,
 25 desertosque lares, et valles ossibus albas
 26 exiguis videt, et vestigia parva stupescit.
 27 Desolata tenet victrix impune volucris
 28 regna, et securo crepitat grus improba nido.
 29 Non sic, dum multos stetit insuperabilis annos
 30 parvula progenies ; tum, si quis cominus ales
 31 congregi, et immixtae auderet se credere pugnae,
 32 miles atrox aderat, sumptisque feroculus armis
 33 sternit humi volucrem moribundam, humerisque reportat
 34 ingentem praedam ; caesoque epulatur in hoste.
 35 Saepe improvisas mactabat, saepe juvabat
 36 diripere aut nidum, aut ulcisci in prole parentem.
 37 Nempe larem quoties multa construxerat arte,
 38 aut uteri posuisset onus, volucremque futuram ;
 39 Continuo vultu spirans immane minaci
 40 omnia vastaret miles, foetusque necaret
 41 immeritos, vitamque abrumperet imperfectam,
 42 Cum tepido nundum maturat hostis in ovo.
 43 Hinc causae irarum, bella hinc, fatalia bella,
 44 atque acies letho intentae, volucrumque virumque
 45 commissae strages, confusaque mortis imago.
 46 Non tantos motus, nec tam memorabile bellum,
 47 Maeonius quondam sublimi carmine vates
 48 lusit ; ubi totam strepituque armisque paludem
 49 miscuit : hic (visu mirabile !) Corpora murum
 50 sparsa jacent juncis transfixa, hic gutture rauco

51 rana dolet, pedibusque abscisso poplite ternis
52 reptat humi, solitis nec sese saltibus effert
53 jamque dies Pygmaeo aderat, quo tempore caesi
54 paenituit fetus, intactaque maluit ova.
55 Nam super his accensa graves exarsit in iras
56 grus stomachans ; omnesque simul, quas Strymonis unda,
57 aut stagnum Mareotidis, imi aut uda Caystri
58 prata tenent, adsunt ; Scythicaque excita palude,
59 et conjurato volucris descendit ab Istro,
60 stragesque immensas et vulnera cogitat absens,
61 exacuitque unguis ictum meditata futurum,
62 et rostrum parat acre, fugaeque accommodat alas.
63 Tantus amor belli, et vindictae arrecta cupido.
64 Ergo ubi ver nactus proprium, suspensus in alto
65 aere concussis exercitus obstrepit alis,
66 terraeque immensos tractus, semotaque longe
67 aequora despiciunt, Boreamque et nubila tranant
68 innumeri : crebro circum ingens fluctuat aether
69 flamine, et assiduus miscet caelum omne tumultus.
70 Nec minor in terris motus, dum bella facessit,
71 impiger, instituitque agmen, firmatque phalangas,
72 et furit arreptis animosus homuncio telis :
73 donec turma duas composita excurrat in alas,
74 ordinibusque frequens, et marte instructa perito.
75 Jamque acies inter medias sese arduus infert
76 Pygmeadum ductor, qui majestate verendus
77 incessuque gravis, reliquos supereminet omnes
78 mole gigantea, mediamque assurgit in ulnam.
79 Torvior aspectu (hostilis nam insculpserat unguis
80 ore cicatrices) vultuque ostentat honesta
81 rostrorum signa, et crudos in pectore morsus.
82 Immortali odio, aeternisque exercuit iris
83 alituum gentem, non illum impune volucris
84 aut ore, aut pedibus peteret confisus aduncis.
85 Fatalem quoties gruibus distrinxerat ensem,
86 truncavitque alas, celerique fugam abstulit hosti !
87 Quot fecit strages ! Quae nudis funera pullis
88 intulit, heu ! Quoties implevit Strymona fletu !
89 Jamque procul sonus auditur, piceamque volantum
90 prospectant nubem, bellumque hostesque ferentem.
91 Crebrescit tandem, atque oculis se plurimus offert
92 ordinibus structus variis exercitus ingens
93 alituum, motisque eventilat aera pennis.
94 Turba polum replet, specieque immanis obumbrat
95 agmina Pygmaeorum, et densa in nubibus haeret :
96 nunc densa, at patriis mox reddita rarior oris.
97 Belli ardent studio Pygmaei, et lumine saevo
98 suspiciunt hostem ; nec longum tempus, et ingens
99 turba gruum horrifico sese super agmina lapsu
100 praecipitat gravis, et bellum sperantibus infert.
101 Fit fragor ; avulsae volitant circum aera plumae.
102 Mox defessa iterum levibus sese eripit alis,
103 et vires reparata iterum petit impete terras.
104 Armorum pendet fortuna : hic fixa volucris
105 cuspede, sanguineo sese furibunda rotatu
106 torquet agens circum, rostrumque intendit in hostem
107 imbellem, et curvos in morte recolligit unguis.
108 Pygmaei hic stillat lentus de vulnere sanguis,

109 singultusque ciet crebros, pedibusque pusillis
 110 tundit humum, et moriens unguem exsecratur acutum.
 111 Aestuat omne solum strepitu, tepidoque rubescit
 112 sanguine, sparguntur gladii, sparguntur et alae,
 113 unguesque et digiti, commixtaque rostra lacertis.
 114 Pygmeadum saevit, mediisque in millibus ardet
 115 ductor, quem late hinc atque hic pereuntia cingunt
 116 corpora fusa gruum ; mediaque in morte vagatur,
 117 nec plausu alarum, nec rostri concidit ictu.
 118 Ille gruum terror, illum densissima circum
 119 miscetur pugna, et bellum omne laborat in uno :
 120 Cum, subito appulsus (sic dii voluere) tumultu
 121 ex inopino ingens et formidabilis Ales
 122 comprehendit pedibus pugnantem ; et (triste relatu)
 123 sustulit in caelum ; bellator ab unguibus haeret
 124 pendulus, agglomerat strepitu globus undique densus
 125 alituum ; frustra Pygmaei lumine maesto
 126 regem inter nubes lugent, solitoque minorem
 127 heroem aspiciunt gruibus plaudentibus escam.
 128 Jamque recrudescit bellum, grus desuper urget
 129 Pygmaeum rostro, atque hostem petit ardua morsu ;
 130 tum fugit alta volans ; is sursum brachia jactat
 131 vulneris impatiens, et inanes saevit in auras.
 132 Talis erat belli facies, cum Pelion ingens
 133 mitteret in caelum Briareus, solioque Tonantem
 134 praecipitem excuteret ; sparguntur in aethere toto
 135 fulminaque scopulique : flagrantia tela deorsum
 136 torquentur Jovis acta manu, dum vasta Gigantum
 137 corpora fusa jacent, semiustaque sulphure fumant.
 138 Viribus absumptis penitus Pygmeia tandem
 139 agmina languescunt ; ergo pars vertere terga
 140 horribili perculsa metu, pars tollere vocem
 141 exiguam ; late populus cubitalis oberrat.
 142 Instant a tergo volucres, lacerantque trahuntque
 143 immites, certae gentem extirpare nefandam.
 144 Sic Pygmaea domus multos dominata per annos,
 145 tot bellis defuncta, gruum tot laeta triumphis,
 146 funditus interiit : nempe exitus omnia tandem
 147 certus regna manet, sunt certi denique fines,
 148 quos ultra transire nefas : sic corruit olim
 149 Assyriae imperium, sic magnae Persidis imis
 150 sedibus eversum est, et majus utroque Latinum.
 151 Elysii valles nunc agmine lustrat inani,
 152 et veterum heroum miscetur grandibus umbris
 153 plebs parva : aut, si quid fidei mereatur anilis
 154 fabula, pastores per noctis opaca pusillas
 155 saepe vident umbras, Pygmaeos corpore cassos,
 156 dum segura gruum, et veteres oblita labores,
 157 laetitiae penitus vacat, indulgetque choreis,
 158 angustosque terit calles, viridesque per orbes
 159 turba levis salit, et lemorum cognomine gaudet.

RESSURECTIO DELINEATA AD ALTARE COL. MAGD. OXON

A7 v.1 Egregios fuci tractus, calami que labores,
 2 surgentesque hominum formas, ardentia que ora

3 judicis, et simulacra modis pallentia miris,
4 terribilem visu pompam, tu carmine Musa
5 pande novo, vatique sacros accende furores.
6 Olim planitiem (quam nunc fecunda colorum
7 insignit pictura) inhonesto et simplice cultu
8 vestiit albedo, sed ne rima ulla priorem
9 agnoscat faciem, mox fundamenta futurae
10 substravit pictor tabulae, humoremque sequacem
11 per muros traxit ; velamine moenia crasso
12 squallent obducta, et rudioribus illita fucis.
13 Utque (polo nondum stellis fulgentibus apto)
14 ne spatio moles immensa dehiscat inani,
15 per cava caelorum, et convexa patentia late,
16 hinc atque hinc interfusus fluitaverat aether ;
17 mox radiante novum torrebat lumine mundum
18 Titan, et pallens alienos mitius ignes
19 Cynthia vibrabat ; crebris nunc consitus astris
20 scintillare polus, nunc fulgor lacteus omne
21 diffluere in coelum, longoque albescere tractu :
22 sic, operis postquam lusit primordia pictor,
23 dum sordet paries, nullumque fatetur Apellem,
24 cautius exercet calamos, atque arte tenacem
25 confundit viscum, succosque attemperat, omnes
26 inducit tandem formas ; apparet ubique
27 muta cohors, et picturarum vulgus inane.
28 Aligeris muri vacat ora suprema ministris,
29 sparsaque per totam caelestis turba tabellam
30 raucos inspirat lituos, buccasque tumentes
31 inflat, et attonitum replet clangoribus orbem.
32 Defunctis sonus auditur, tabulamque per imam
33 picta gravescit humus, terris emergit apertis
34 progenies rediviva, et plurima surgit imago.
35 Sic, dum fecundis Cadmus dat semina sulcis,
36 Terra tumet praegnans, animataque gleba laborat,
37 luxuriatur ager segete spirante, calescit
38 omne solum, crescitque virorum prodiga messis.
39 Jam pulvis varias terrae dispersa per oras,
40 sive inter venas teneri concreta metalli,
41 sensim dirigit, seu sese immiscuit herbis,
42 explicita est ; molem rursus coalescit in unam
43 divisum funus, sparsos prior alligat artus
44 junctura, aptanturque iterum coeuntia membra.
45 Hic nondum specie perfecta resurgit imago,
46 vultum truncata, atque inhonesto vulnere nares
47 manca, et adhuc deest informi de corpore multum .
48 Paulatim in rigidum hic vita insinuata cadaver
49 motu aegro vix dum redivivos erigit artus.
50 Inficit his horror vultus, et imagine tota
51 fusa per attonitam pallet formido figuram.
52 Detrahe quin oculos, spectator, et ora nitentem
53 si poterint perferre diem, medium inspice murum,
54 qua sedet orta Deo proles, Deus ipse, sereno
55 lumine perfusus, radiisque inspersus acutis.
56 Circum tranquillae funduntur tempora flammae,
57 regius ore vigor spirat, nitet ignis ocellis,
58 plurimaque effulget majestas numine toto.
59 Quantum dissimilis, quantum o ! mutatus ab illo,
60 qui peccata luit cruciatus non sua, vitam

61 quando luctantem cunctata morte trahebat !
62 Sed frustra voluit defunctum Golgotha numen
63 condere, dum victa fatorum lege triumphans
64 nativum petiit caelum, et super aethera vectus
65 despexit lunam exiguam, solemque minorem.
66 Jam latus effossum, et palmas ostendit utrasque,
67 vulnusque infixum pede, clavorumque recepta
68 signa, et transacti quondam vestigia ferri.
69 Umbrae huc felices tendunt, numerosaque caelos
70 turba petunt, atque immortalia dona capessunt.
71 Matres, et longae nunc reddita corpora vitae
72 infantum, juvenes, pueri, innuptaeque puellae
73 Stant circum, atque avidos jubar immortale bibentes
74 affigunt oculos in Numine ; laudibus aether
75 intonat, et laeto ridet caelum omne triumpho.
76 His amor impatiens conceptaque gaudia mentem
77 funditus exagitant, imoque in pectore fervent.
78 Non aequae exultat flagranti corde Sibylla,
79 hospite cum tumet incluso, et praecordia sentit
80 Mota dei stimulis, nimioque calentia Phoebos.
81 Quis tamen ille novus perstringit lumina fulgor ?
82 Quam mitra effigiem distinxit pictor, honesto
83 surgentem e tumulo, alatoque satellite fultam ?
84 Agnosco faciem, vultu latet alter in illo
85 Wainfletus, sic ille oculos, sic ora ferebat :
86 eheu quando animi par invenietur imago ?
87 Quando alium similem <talis> virtus habitura ?
88 Irati innocuas securus numinis iras
89 aspicit, impavidosque in iudice figit ocellos.
90 Quin age, et horrentem commixtis igne tenebris
91 jam videas scenam ; multo hic stagnantia fuco
92 Moenia flagrantem liquefacto sulphure rivum
93 fingunt, et falsus tanta arte accenditur ignis,
94 ut toti metuas tabulae, ne flamma per omne
95 livida serpat opus, tenuesque absumpta recedat
96 pictura in cineres, propriis peritura favillis.
97 Huc turba infelix agitur, turpisque videri
98 infrendet dentes, et rugis contrahat ora.
99 Vindex a tergo implacabile saevit, et ensem
100 fulmineum vibrans acie flagrante scelestos
101 jam Paradiseis iterum depellit ab oris.
102 Heu ! quid agat tristis ? quo se caelestibus iris
103 subtrahat ? O ! quantum vellet nunc aethere in alto
104 virtutem colere ! At tandem suspiria ducit
105 nequicquam, et sero in lachrymas effunditur ; obstant
106 sortes non revocandae, et inexorabile numen.
107 Quam varias aperit veneres pictura ! Periti
108 quot calami legimus vestigia ! Quanta colorum
109 Gratia se profert ! Tales non discolor Iris
110 ostendat, vario cum lumine floridus imber
111 rore nitet toto, et gutta scintillat in omni.
112 O fuci nitor, o pulchri durate colores !
113 Nec, pictura, tuae languescat gloria formae,
114 dum lucem videas, qualem exprimis ipsa, supremam.

SPHAERISTERIUM

A8 v.1 Hic, ubi graminea in latum sese explicat aequor
 2 planities, vacuoque ingens patet area campo,
 3 Cum solem nondum fumantia prata fatentur
 4 exortum, et tumidae pendent in gramine guttae,
 5 improba falx noctis parva incrementa prioris
 6 desecat, exiguam radens a cespite messem :
 7 tum motu assiduo saxum versatile terram
 8 deprimit extantem, et surgentes atterit herbas.
 9 Lignea percurrunt vernantem turba palaestram
 10 uncta, nigens oleo, formae quibus esse rotundae
 11 artificis ferrum dederat, facilisque moveri.
 12 Ne tamen offendant incauti errore globorum
 13 quaeque suis incisa notis stat sphaera ; sed unus
 14 hanc vult, quae infuso multum inclinata metallo
 15 vertitur in gyros, et iniquo tramite currit ;
 16 quin alii diversa placet, quam parcius urget
 17 plumbea vis, motuque sinit procedere recto.
 18 Postquam ideo in partes turbam distinxerat aequas
 19 consilium, aut sors ; quisque suis accingitur armis.
 20 Evolat orbiculus, quae cursum meta futurum
 21 designat ; jactique legens vestigia, primam,
 22 qui certamen init, sphaeram demittit, at illa
 23 leniter effusa, exiguum quod ducit in orbem,
 24 radit iter, donec sensim primo impete fesso
 25 subsistat ; subito globus emicat alter et alter.
 26 Mox ubi funduntur late agmina crebra minorem
 27 sparsa per orbiculum, stipantque frequentia metam,
 28 atque negant faciles aditus ; jam cautius exit,
 29 et leviter sese insinuat revolubile lignum.
 30 At si forte globum, qui misit, spectat inertem
 31 serpere, et impressum subito languescere motum,
 32 pone urget sphaerae vestigia, et anxius instat,
 33 objurgatque moras, currentique imminet orbi.
 34 Atque ut segnis honos dextrae servetur, iniquam
 35 incusat terram, ac surgentem in marmore nodum.
 36 Nec risus tacuere, globus cum volvitur actus
 37 infami jactu, aut nimium vestigia plumbum
 38 allicit, et sphaeram a recto trahit insita virtus
 39 tum qui projecit, strepitus effundit inanes,
 40 et, variam in speciem distorto corpore, falsos
 41 increpat errores, et dat convicia ligno.
 42 Sphaera sed, irarum temnens ludibria, coeptum
 43 pergat iter, nullisque movetur surda querelis.
 44 Illa tamen laudes summumque meretur honorem,
 45 quae non dirumpit cursum, absistitque moveri,
 46 donec turbam inter crebram dilapsa supremum
 47 perfecit studium, et metae inclinata recumbit.
 48 Hostis at haerentem orbiculo detrudere sphaeram
 49 certat, luminibusque viam signantibus omnes
 50 intendit vires, et missile fortiter urget :
 51 evolat adducto non segnis sphaera lacerto.
 52 Haud ita prosiliens Eleo carcere pernix
 53 Auriga invehitur, cum raptus ab axe citato
 54 currentesque domos videt, et fugentia tecta.
 55 Si tamen in duros, obstructa satellite multo,

56 impingant socios, confundatque orbibus orbis ;
57 tum fervet bilis, fortunam damnat acerbam,
58 atque deos atque astra vocat crudelia vira.
59 Si vero incursus faciles, aditumque patentem
60 inveniat, partoque hostis spoliatur honore :
61 turba fremit confusa, sonisque frequentibus, euge,
62 exclamant socii ; plausu strepit omne viretum.
63 Interea fessos inimico Sirius astro
64 corripit, et salsas exsudent corpora guttas ;
65 lenia jam zephyri spirantes frigora, et umbrae
66 captantur, vultuque fluens abstergitur humor.